Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mun-
dum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui
crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uerò non cre-
diderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint:
hæc sequentur: in nomine meo dœmonia eijcient: linguis
loquentur nouis: serpentes tollent: et si mortiferum quid bibe-
rint non eos nocebit. Super egros manus imponent, et bene
habebunt. Et dominus quidem Jhesus, postquam locutus est
eis, assumptus est in Cœlum: et sedet à dextris Dei. Illi aut
profecti prædicauerunt ubiq: domino cooperante: et sermo-
nem confirmante sequentibus signis. Deo gratias.

In illo tempore: Reuersi sunt septuaginta duo discipuli cum
gaudio dicentes. Domine etiam dœmonia subijciuntur
nobis in nomine tuo. Et ait: Videbam Sathanam sicut ful-
gur de coelo cadentem. Ecce dedi uobis potestatem calcandi
super serpentes et scorpiones, et super omnem uirtutem inimicj:
et nihil uobis nocebunt. Veruntamen in hoc nolite gaudere,
quia spiritus subijciuntur uobis: gaudete autem, quia no-
mina uestra scripta sunt in Cœlis. Deo grãs.

Oratio.

Prætende Domine Jhesu Christe famulæ. etc.
Deus cui omne. etc. Añ: Veni sancte spiritus, reple tuorũ. etc.